



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

In tabulam Christi discipulis conspecti. Ode Dicolos Distrophos. LXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44973

In tabulam Christi discipulis conspectā.

Ode Dicolos Distrophos.

LXVI.

IMprouisa simul nigro lux ignea cælo
 Fulguris emicuit:
 Turbato horrore animos hiemisq̄ue malignæ
 Nubibus assiduīs
 Exterret, trepidosq̄ue oculos præstringit, & acris
 Lumine sæpe ferit:
 Vt quanquam cærus radianti ex æthere fulgor
 Sensibus incubuit;
 Obtenebrata tamen stupefactaq̄ue lumina tristis
 Tempora noctis agant.
 Non secus occisi tempestas dura magistri,
 Exanimisq̄ue metus
 Discipulos tristes effecerat, vt neque certis
 Visa oculis Domini
 Vel species vel verba nouam testantia vitam
 Perdoceant pauidos.
 Non haustu mens arcta hominum comprehendere prius
 Munera tanta valet.
 Illa tamen seu tarda putes ignarave rerum,
 Cordave dura nimis
 Multiplices vsus, ventura in secula mundo
 Expediere boni.
 Nam quicquid fidei obiciunt errorq̄ue metusq̄ue,
 Ingenium vel inops,
 Impietas, & suspicio malè credula veris,
 Vel dolus illaqueans;
 Omnia præfenti exemplo, iam testibus illis
 Exsuperata iacent:
 Nec quicquam reliquum dubij est mortalibus vltra,
 Credere quin valeant
 Quicquid prisca almo adscripsere oracula Christo,
 Quicquid Apostolica.
 Felices a teo, dubio quos exiit omni
 Sæpe oculata fides.
 Disa Dei sed qui credit, felicior ille est,
 Nec petit inspicere.

VERL

VERITAS SPECTATISSIMA.

Non viuum dubitate vltra; sed credite, vobis
 Posse dari per me vincere mortis opus.

CHRISTO VIVEN. PERP. OMN.
 DOM. APPELL. S.

In tabulam Ascensionis Christi.

Ode Tricolos Tetraſtrophos. LXVII.

EXpers amaræ mortis, & hostium
 Victor, triumphis perpetuis potens,
 Solisque peruincens nitores,
 Astra petit patriamque Christus.
 Qui Patris amplum sponſe reliquerat
 Regnum, quietas & superum domos,
 Mortalis & vitæ labores
 Pertulerat, vigilesque curas:
 Celante numen corpore maximus
 Hospes, paratus seruitum graue
 Terris subire, atque inquietos
 Usque dies tolerare & annos:
 Et sumpta nostræ fortis, & ordinis
 Incomparandis membra laboribus
 Intendit, exercetque patris
 Nutibus, imperiisque summi.
 Ergo peractis ipse periculis,
 Seruus probatis officiis bonus,
 Audire dilectusque natus
 Promeruit, solique consors:
 Præfensque nostris partibus addidit
 Virtutis, alti & munera nominis,
 Carnique diuinos honores,
 Et proprium decus arrogauit.
 Miratur ardens discipuli cohors,
 Certo petentem numine sidera;
 Nubesque subiectas prementem,
 Vix oculis celerem sequuntur.

Regemque